

dem semicirculo meridiani, sed sub diuersis, & habeat utraque, latitudinem aut Borealem, aut Australem, tunc utriusque latitudo est addenda, & aggregatum ab integro semicirculo, nempe 180. grad. detrahendum, residuum ostendit distantiam. Vt in exemplo, Granata Hispaniæ, & Quntfaij Ciuitas, in Prouincia Mangij, ultra Chinam, sunt ferè sub eodem meridiano positæ, sed sub diuersis semicirculis, illa enim plane Occidentalis hæc prorsus Orientalis est, habetque utraque, latitudinem septentrionalem: Granata 37. grad. minut. 50. Quinsaij 37. grad. 40. minut. Quæ duæ latitudines, simul iunctæ, dant grad. 25. minut. 30. quæ si detrahantur à semicirculo, nempe 180. grad. relinquunt 104. grad. 30. minut. hoc est, miliaria germanica 2090. Italica 6270.

Dentur quarto duæ Ciuitates, sub diuersis eiusdem meridiani semicirculis sitæ, quarum altera in Austrum, altera in septentrionem, ab æquatore recedat, tunc differentia latitudinum auferatur à semicirculo, id est, à 180. grad. residuum conuersum in miliaria indicat distantiam, verbi gratia Cantan celeberrimus portus Chinæ, & Ostia fluuij argentei in Peru, ponuntur sub diuersis, eiusdem meridiani semicirculis, sed Cantan habet latitudinem septentrionalem grad. 19. Ostia, latitudinem Australem, grad. 36. Nunc si minor latitudo detrahatur ex maiori, relinquitur differentia latitudinum, grad. 17, qui subtracti ex semicirculo, relinquunt 163. grad. hoc est miliaria germanica 3260. Italica 9780.

Exinde sequitur, si 2. loca æqualem habeant distantiam ab æquinoctiali, alter versus septentrionem illa distare à sese integro semicirculo, hoc est 180. grad.

F 2 DVO.